



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

7. Romanus Pontifex &c. Secularizatio Monasterii Malleacensis Ordinis
Sancti Benedicti ob erectionem Capituli sæcularis in oppido Fontaniaci
Comitis, quò translata sedes Episcopalis Malleacensi: anno ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1631.

illis aliis in suo robore permanfuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; Quodque eadem presentes literæ, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixa, omnes ita ardeant, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die duodecima Septembris, anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nostri sexto.
M. A. Maraldus.

VII.
Ex ibid.
Tom. I. pag.
131.

Secularizatio Monasterii Malleacensis Ordinis Sancti Benedicti ob erectionem Capituli secularis in oppido Fontaniaci Comitis, quod transfata sedes Episcopalis Malleacensis: anno 1631.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: Venerabili fratri Henrico Ludovico Episcopo Pictaviensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex de Summi Apostolatus specula universo terrarum orbi debita servitute prospiciens inter multiplices cum quibus occurrentibus negotiorum varietatibus obsidetur, illam libenter amplectitur per quam Ecclesiarum Cathedralium quarumlibet venustas & decor augetur, divinus cultus accrescit, animarum salus incrementum suscipit, ac virorum doctrina pollentium commoditatibus providetur, in illis præsertim partibus quibus propter hæresim eorum opera maxime necessaria est, idque ut fiat interdum ipsarum Ecclesiarum statum immutari dignitates, & officia, cæteraque beneficia in illis supprimi, alia de novo erigi, numerum eorum augeri, ipsorumque fructuum tenuitati per opportunam prioratum & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum unionem consuli benignè mandat, prout Christianorum Regum & Ecclesiasticorum Prælatorum aliorumque Christi fidelium vota id exposcunt, ac ipsarum personarum Ecclesiasticarum & locorum qualitatibus debite pensatis, & diligenter consideratis conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem nos ex certis tunc expressis causis ducti, ac supplicationibus Charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum & Navarra Regis Christianissimi nobis tunc desuper porrectis inclinati, tibi per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut consilio tibi de consensu tunc existentium Episcopi, & Capituli Ecclesiæ Malleacensis, & quod Ecclesia Parochialis Beatæ Mariæ Virginis oppidi Fontaniaci Comitis, Malleacensis Diæcesis capax & decens esset, in qua Ecclesia Cathedralis erigeretur, rebusque ad Cathedraliam Ecclesiam necessariis esset instructa, & in dicto oppido competentes domus pro habitatione dictorum Episcopi & Capituli assignatæ essent in dicta Ecclesia Malleacensi, quæ regularis est, & cujus Capitulum monachis ordinem Sancti Benedicti expresse professis constat, titulum Ecclesiæ Cathedralis auctoritate nostra supprimes & extingueres, oppidum prædictum civitatis titulo insignires, ipsumque oppidum in Civitatem Fonteniacen-

sem nuncupandam, cum juribus privilegiis & prærogativis quibus aliæ civitates illarum partium utuntur, nec non prædictam Ecclesiam Beatæ Mariæ in Cathedraliam Ecclesiam Fonteniacensem nuncupandam, cum insigniis & juribus Episcopalis, ad instar aliarum Cathedralium earundem partium, ita quod moderans & pro tempore existens Ecclesiæ erigendæ ejusmodi Præsules Malleacenses Fonteniacenses Episcopi conjunctim denominari deberent, eadem auctoritate nostra perpetuo erigeres & institueres ac sedem Episcopalem, nec non Capitulum & Conventum dictæ Ecclesiæ Malleacensis ipsorumque Capituli & Conventus Monachorum & personarum capitularium residentium ad Ecclesiam Fonteniacensem erigendam transferres, aliaque faceres, prout in dictis nostris literis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibitæ nobis nuper pro parte venerabilis Fratris nostri Henrici de Bethune moderni Episcopi Malleacensis, ac dilectorum filiorum Conventus, & monachorum ipsius Ecclesiæ Malleacensis, nec non Hilarii de Pommeraye Archipresbyteri Archipresbyteratus Dardin juncti Malleacensi Diæcesi, & Magistri Francisci de la Barre Eleemosinarii d' Cuimes etiam juncti, licentiam in Theologia petitio continebat, literæ prædictæ nondum executioni demandatæ extiterint: Idem verò Ludovicus Rex, cui nihil magis cordi est, quam ut Ecclesiasticus Ordo in omnibus locis temporalis suo dominio subiectis, & sacri religiosi Ordines, qui, divinâ favente clementia, in omnibus Galliæ provinciis numerosi sunt, florescant, ac eorumdem Regularium Ordinum Religiosi sua instituta piè religiosèque observent, quorum & per Dei gratiam, in variis sui regni partibus non exiguus est numerus, quique, quo magis eorum progressibus gaudet qui eam quam professi sunt regulam, sanctamque paupertatem sectantur & servant, vehementius eorum ruinas intimis animi sensibus dolet qui à sublimi religiose vitæ gradu collapsi videntur; considerans Monachos illos qui conventum dictæ Ecclesiæ Malleacensis constituant, eorum prædecessorum exempla sequentes, contrariam Sancti Benedicti eorum Patris & Institutoris, qui nullam Monachis suis proprietatem permittit, sed omnia inter omnes vult esse communia proprietatibus addictos, suas particulares portiones & Officiorum Claustralium fructus proprios habere, de illisque ad libitum suum disponere; & exinde scandala cum animarum jactura regularis instituti transgressione, Deique offensione exoriri; neque verò sperandum esse quod iidem Monachi ex longa, & antiqua, & non ipsis tantum, sed & ipsorum prædecessoribus tolerata consuetudine, proprietatibus assueti, prædictis literis executioni demandatis, & sequuti translatione hujusmodi, sanctam paupertatem quam professi sunt & sine cujus observantia non potest Monachalis professio subsistere, amplectantur, & proprietatibus abstineant, proindeque eorum animarum saluti ipsiusque Ecclesiæ splendori, atque etiam divino cultui expedire, quod dictorum Monachorum ipsiusque Ecclesiæ, ut Conventus status regularis in sæcularem mutetur, Ministrorum Ecclesiasticorum numerus, qui tantummodo denarius, atque ita minor est quam Cathedraliam Ecclesiam deceat, atque etiam eorum redditus, qui tenuissimi sunt, cum qualibet portio Monachalis trecentas libras monetæ illarum partium non excedat, augeantur, ac loco officiorum Claustralium, quæ quinque sunt, nempe Prioratus, subprioratus, sacristia, eleemosinaria & infirmitaria, & quæ obtinentes unâ cum illis unam etiam portionem Monachalem obtinent, totidem dignitates; loco verò portionum Monachalium, quæ decem existunt, totidem etiam Canonicatus, & totidem præbendæ

ANNO
1631.

ANNO
1631.

Seculares, & ultra illas alia etiam tres Dignitates, alique decem Canonicatus totidemque Præbendæ instituantur, dictæque fructuum tenuitati per opportunam Prioratum à dicta Ecclesia illiusque Mensa Conventuali dependentium, tum dignitatibus instituentis, tum futuræ Mensæ Capitulari seculari unionem, provideatur, futurum nempe ut certis redditibus, Statuque immutato viri doctrina & scientia præstantes, quorum ea in regione, in qua plurimi adsunt hæretici, opera & industria est maximè necessaria, ad Canonicatus & Præbendas ac Dignitates dictæ Ecclesiæ potius aspirant, quam facerent, si fructus tenuiores, aut Præbendæ regulares existerent, & ad effectum illas consequendi eis Noviciatus jucundus perficiendus esset, præterquam quòd hæc Status Regularis immutato eò magis conveniens videtur, quòd in eadem Ecclesia, quæ ad Episcopum & Dignitatem Episcopalem spectat, jam dudum Secularitas indicta est. Inconveniens namque & absurdum est, ut Corpus, & membra à capite conditione, statu, & professione penitus discrepent. Conventus autem & Monachi prædicti animadvertentes se, qui Regulam Sancti Benedicti professi sunt, ob veritas ipsique eadem regulâ prohibitas proprietates in continua illius transgressione vivere, hincque sui Regularis Status in Sæcularem mutationem sibi salutarem fore, illam summopere exoptent, & propterea tam ipse Ludovicus Rex, quam Henricus Episcopus, & Conventus, ac Monachi, nec non Hilarius & Franciscus prædicti nobis humiliter supplicari fecerint, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Et ulterius, Hilarius videlicet, Archiepiscopatuum Dardin, Franciscus autem prædicti Elemosynarium d'Oulmes prædictos, nec non perpetuam sine Cura & personalem Residentiam non requirentem Cappellaniam Sancti Martini in Ecclesia Sancti Michaelis le Clove *nuncupati*, dictæ seu alterius Diocesis deseriri solitam, quam & quas respectivè tunc obtinebant, per dilectum Filium Joannem Marchand Clericum Pictaviensem eorum Procuratorem ad hoc ab eis, specialiter constitutum, in manibus nostris ad effectum infrascriptæ unionis, & ut ipsi de infrascriptis majore, & minore Archidiaconatibus & infra erigendis provideatur, & non aliàs, aliter nec alio modo, sponte tamen & aliàs liberè resignaverint, nosque resignationes ipsas ex eadem causa admittendas duxerimus, sicque Archiepiscopatus ac Elemosynaria ac Cappellania prædicti per resignationes eadem apud Sedem Apostolicam vacaverint, & vacant ad præsens, nullusque de illis præter Nos, eo quod nos dudum omnia Officia aliaque Beneficia Ecclesiastica Sæcularia & quorumvis Ordinum Regularia apud Sedem prædictam tunc vacantia & impofterum vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, & ex tunc irritum decrevimus & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & Decreto obstantibus supradictis. Nos qui etiam dudum inter alia volumus, statuimus, & ordinavimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimerè verum annum valorem secundum communem estimationem tam Beneficiorum uniendorum, quam illorum, quibus alia uniri peterentur, alioqui unio non valeret; quòdque semper in provisionibus commissio fieret ad partes, vocatis interessè habentibus, idemque observaretur in quibusvis suppressionibus, erectionibus & applicationibus perpetuis: quique Principum & Prælatorum votis, quantum cum Deo possumus, benignè annuimus, ac personarum quarumlibet, præsertim verò Ecclesiasticarum neces-

sitatibus, & animarum saluti, divinique cultus augmento libenter consulimus: Henricum Episcopum ac Hilarium & Franciscum prædictos, ac singulares Personas dicti Conventus à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris & poenis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem nostris Litteris translationis prædictæ semper salvis, & in suo robore remanentibus, salvaque illarum executione, post Executionem præsentium, & post factam infrascriptam Sæcularisationem faciendam in dicta Ecclesia Malleacensi, illiusque Conventu ac Claustralibus & aliis Officiis ac Locis & Portionibus Monachalibus in eadem Ecclesia existentibus, nec non quibusvis Prioratibus & Beneficiis cum cura, & sine cura, regularibus, ab ea illiusque Conventu dependentibus, dictum Ordinem Sancti Benedicti omnemque statum & essentiam regulares, ita ut Regularia esse desinant, & Sæcularia efficiantur, auctoritate nostra perpetuò supprimas & extringas, ac Regularem ipsius Ecclesiæ Malleacensis illiusque Claustrali & aliorum Officiorum ac Monachalium portionum ac Prioratum, & aliorum Regularium ab eadem Ecclesia illiusque Mensa Conventuali dependentium statum in Sæcularem immutes, Monachos verò & Conventum ejusdem Ecclesiæ Officia Claustralia, ac portiones Monachales, & Prioratus ac Beneficia inde dependentia obtinentes, cæterosque dictæ Ecclesiæ Ministros Regulares prædictum Ordinem tacitè vel expressè professos, ab omni, & quacunque observatione, & vinculo observantiæ, constitutionum, ordinationum, definitionum, institutorum, statutorum & consuetudinum Regularium Ordinis Sancti Benedicti, ac quacunque votorum ab eis emissorum obligatione, castitatis debito duntaxat excepto, & demum ab omni regula ejusdem Ordinis, itaque deinceps habitum regularem deferre, seu aliquid regularitatem indicans gestare aut facere, vel constitutiones, ritus, mores & constitutiones prædicti Ordinis, & quoad victum & vestitum, juniorum observantiam, seu ciborum abstinentiam, aut quævis alia, ad quæ virtute Regulæ seu professionis ab eis emissæ tenentur, observare non teneantur: Sed in habitu, tonsura, incessu, victu, moribus & divinarum celebratione, Presbyteris Sæcularibus ubique liberè, & licitè, & absque alicujus transgressionis, Apostasiæ, inhabilitatis, & infamiæ nota, ac censurarum vel aliarum poenarum, etiam per regulas, & instituta dicti Ordinis inflictarum, incursum, se conformare valeant, ac de cætero Sæculares sint, & pro talibus habeantur, & reputentur: dicta auctoritate penitus, & omninò absolvas & liberes, & in eadem Ecclesia sic ad Sæcularitatem reducta, loco Mensæ Conventualis Regularis in mensam Capitularem Sæcularem cum arca & Sigillo communibus, aliisque Capitulum Cathedralium Ecclesiarum Sæcularium insignibus, ac loco quinque Officiorum Claustralium totidem Dignitates Sæculares: Nempe loco Sacristiæ, unam Thesaurariam cum omnibus juribus & emolumentis ad ipsam Sacristiam spectantibus, pro uno Thesaurario, & loco Sub-Prioratus unam Cantoriam cum grosso spectante ad ipsum Sub-Prioratum pro uno Cantore, & loco Prioratus unam Succentoriam cum grosso spectante ad Prioratum; & loco Infirmeriæ unam Cancellariam, ac Elemosynariæ Regularis unam Elemosynariam Sæcularem pro uno Elemosynario Sæculari, & ultra illas unum Decanatum pro uno Decano, ac unum majorem, & alterum minorem

ANNO
1631.

ANNO
1361.

nuncupandos Archidiaconatus, pro uno majori, & altero minori nuncupandis Archidiaconis: Ita quod Decanatus prima, & major post Pontificalem, & electiva, ad quam, dum pro tempore, ubicumque & quomodocumque vacaverit, electio personæ idoneæ, servatâ juris formâ, eligendæ ad Capitulum & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, cessantibus tamen reservationibus, & affectionibus Apostolicis; institutio verò ad pro tempore existentem Episcopum Malleacensem spectet: Thesauraria secunda, Elemosynaria tertia, Archidiaconatus major quarta, Archidiaconatus minor quinta, Cantoria sexta, Succentoria septima, & Cancellaria octava, & ultima, Dignitates Sæculares dictæ Ecclesiæ Malleacensis existant; quas pro tempore obtinentes una cum illis unum, & unam ex Canonicibus & Præbendis in dicta Ecclesia Malleacensi, ut infra erigendis, absque dispensatione Apostolica obtinere possint, & illarum occasione distributiones quotidianas lucentur, ita tamen si unus & idem Dignitatem ac Canonicatum & Præbendam obtineat, non duplicem, sed simplicem portionem distributionum lucretur, excepto Decano, qui duplicem illarum portionem percipiat: Loco verò decem Monachalium portionum totidem Canonicatus & Præbendas Sæculares, & ultra illos, etiam alias decem, atque ita viginti Canonicatus & Præbendas pariter Sæculares, quorum atque dignitatum hujusmodi, Decanatu, qui, ut prædicitur, electivus existat, duntaxat excepto, collatio, provisio & omnimoda dispositio ad pro tempore existentem Episcopum Malleacensem, eisdem tamen reservationibus & affectionibus cessantibus, spectet, & pertineat, & quorum singulorum Canonicatum & Præbendarum fructus unione infracriptorum Prioratum effectum sortientur, sint septingentarum librarum, trecentarum nempe pro grosso singularum Præbendarum, pro quo lucrificando personalis residentia in loco faciendâ, & duobus Capitulis generalibus quolibet anno celebrandis assistendum erit: Reliquarum verò quadringentarum librarum pro distributionibus quotidianis ratione servitii & personalis interessentiæ divinis Officiis, & horis divinis, & nocturnis, juxta providenda desuper à Capitulo & Canonicis prædictis faciendam Ordinationem lucrificandis, pro totidem Canonicis Sæcularibus, qui cum Dignitates prædictas obtinentibus Capitulum Sæculare dictæ Ecclesiæ Malleacensis constituant, & Canonicorum Sæcularium aliarum Cathedralium Ecclesiarum illarum partium more, divina Officia & horas Canonicas diurnas, & nocturnas cum devotione & mentis attentione servatâque Ecclesiasticâ formâ celebrent, & decantent, & apud dictam Ecclesiam Malleacensem personaliter residere teneantur: ea ratione ut ii, qui ad præfens prædicta Officia Claustralia ac portiones Monachales obtinent, seu quibus illis provisum fuit, Dignitates prædictorum Officiorum Claustralis ac Canonicatus & Præbendas loco Monachalium portionum hujusmodi respectivè erigendos in vice prædictorum cujusque titularum, eis de Officiis Claustralibus ac portionibus Monachalibus concessorum & competentium, absque alia eis de Dignitatibus ac Canonicatibus & Præbendis respectivè faciendâ provisione assequantur, & obtineant: dicta auctoritate, sine tamen alicujus præjudicio, etiam perpetuè erigas, ipsique Mensæ Capitulari erigendæ pro Canonicatum & Præbendarum erigendorum dotis parte, ac infracriptorum & aliorum onerum eidem Mensæ Capitulari incumbentium aliquali supportatione, omnia, & singula, fructus, redditus & proventus dictæ Mensæ Conventualis Regularis, bona, res, proprietates, & jura, in quibusvis rebus consentientia, pari auctoritate & perpetuè applices & appropries, & insuper pro ulteriori eorundem

Canonicatum & Præbendarum atque Dignitatum erigendorum dote, & ut aucto aliorum & Ministrorum Ecclesiasticorum & aliorum Officialium & servientium numero divinus cultus etiam augeatur, divinaque Officia in dicta Ecclesia Malleacensi majori cum splendore celebrari possint, B. Mariæ de Fontaine, Sancti Michaelis le Clove, Sancti Petri d'Oleron de Champdenier, Capellæ Albæ, vulgò *Chapelle Blanche de Clauway*, Sancti Theobaldi, Sancti Stephani de Marans, de Nuaille, de la Ligue de Breuilleville, de Bazauges, Chassaye, l'Eglise de deux Genefts de Cahenet, de Trelandry, de la Parte, du Pot, Sancti Michaelis de Douans, Sancti Nicolai dicti Oppridi Fonteniaci de Vouvant, Sancti Medardi le Merevant de *la Berand. S. Salvatoris de la Forest, S. Mauriti de Nouhes*, omnesque alios ab Ecclesia Malleacensi ejusque Monasterio & Conventu dependentes, exceptis infrapostitis & ex suprapostitis primo vacaturo dictæ futuræ Mensæ Capitulari, Sancti Stephani verò de Niort, & ex suprapostitis primò vacaturum Decanatu, cum hoc quòd iidem futuri Capitulum, & Canonici Sæculares pro tempore existenti Decano pro parte grossi, seu grossorum fructuum ipsius Decanatus, ultra fructus prædicti Prioratus de Niort, donec, & quousque vacatio alterius Prioratus primò vacaturi evenerit, sexcentas libras ex fructibus, & redditibus dictæ futuræ Mensæ Capitularis defumendas, quotannis solvere debeant. Et si vacatione Prioratus primò vacaturi eveniente & occurrente, illius fructus ad sexcentas libras non ascenderint, id quod ad dictam summam defuerit, ipsi Decano ex dicta Mensa Capitulari solvatur. Si verò exceiserint, id quod superfuert in commodum Mensæ Capitularis cedat, & de Courson Archidiaconatu majori, & Sancti Hilarii de Fonteniaco Archidiaconatu minori, nec non d'Elle & Sancti Petri veteris in Insula Malleacensi Cantoriæ, & Dardin Succentoriæ & Sancti Maxentii de Urabec à dictis Ecclesia Malleacensi ejusque Monasterio ac Mensa Conventuali pariter dependentes Prioratus, quorum singularum fructus, redditus & proventus viginti quatuor Ducatorum auri de Camera, secundum communem estimationem, valorem annum, ut asseritur, non excedunt, cum primùm illos per cessum vel ex causa permutationis, vel decesum, seu Religionis ingressum, Matrimonii contractum, privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem illos nunc obtinentium, aut aliàs quovis modo ubicumque & quomodocumque vacare contigerit, & si actu forsan quovis modo vacent, seu eorum aliquis vacet, Cancellariæ prædictis respectivè, ac propterea Archipresbyteratum Dardin, cujus viginti quatuor majori, & Elemosynariam d'Oulmes & Cappellaniam Sancti Martini hujusmodi, quarum cujuslibet aliorum viginti quatuor Ducatorum similitium, secundum estimationem prædictam, valorem annum, ut etiam asseritur, non excedit, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu per similes resignationes dictorum Hilarii & Francisci, vel quorumvis aliorum de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factas, aut assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, & si tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem Apostolicam legitimè devoluta, ac Archipresbyteratus & Elemosynaria, ac Capellania prædicti dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs generaliter reservati existant, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expreso, pendeat indecisa, dummodo eorum dispositio ad Nos hac vice pertineat, cum eorum annexis respectivè & omnibus juribus & pertinentiis suis minori Ar-

ANNO
1361.

ANNO
1631.

chidiaconatibus respectivè prædictis : Ita quod liceat futuris Capitulo & Canonicis Sæcularibus eorum qui Mensæ Capitulari : Dignitates verò prædictas pro tempore obtinentibus eorum, qui singulis Dignitatibus prædictis respectivè in vim earumdem præsentium unientur, Prioratum prædictorum, occurrente simul vel successivè eorum, vel alicujus eorum vacatione, nec non futuris majori, ac minori Archidiaconis respectivè, Elemosynariæ Sancti Martini illorumque respectivè annexorum ac bonorum, rerum, jurium & proprietatum, corporalem, realem & actualement possessionem per se, vel alios eorum, ac Mensæ Capitularis, nec non Dignitatum respectivè nominibus propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensa perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta exinde provenientia quæcumque percipere, levare, locare, arrendare, ac Capitulo & Canonicis nempe Mensæ Capitulari in assignationem grossi singulorum Præbendarum, ac usum distributionum, nec non solutionem Salariorum Cappellanorum & aliorum Ministrorum & Servitorum infrapositorum, ac Ecclesiæ illiusque fabricæ & Sacristiæ paramentorum & ornamentorum mantentionem : Dignitates verò prædictas respectivè obtinentibus singulis respectivè Dignitatibus unientorum in suos respectivè usus, utilitatem & necessitates convertere, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, cum hoc, quòd propter infrapostas uniones, Prioratus uniendi prædicti, ac Archipresbyteratus prædicti, Elemosynaria d'Oulmes, & Cappellania hujusmodi, debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta : pari auctoritate & perpetuò unias & annexes & incorpores, nunnulla verò minuta Officia in dicta Ecclesia Malleacensi existentia, quorum pinguioris ad quinquaginta, tenuioris verò fructus ad quatuor librarum Turonensium valorem annuatim vix ascendunt, eadem auctoritate perpetuò etiam suppressas, & extinguas, illorumque fructus, qui post cesum, vel decessum illa obtinentium, qui illis, quandiu vixerint, gaudere debeant, in usum distributionum quotidianarum convertantur, eidem Mensæ Capitulari pariter perpetuò applices & appropries, & insuper quòd ex fructibus dictæ Mensæ Capitularis & Prioratum unientorum, dum eorum seu alicujus eorum vacatio occurrerit, redditus distributionum usque ad quantitatem quadringentarum librarum pro quolibet Canonico & Dignitatem obtinente primò stabilitur, illoque stabilitum grossum Præbendarum, quæ usque tunc illo caruerent, usque ad concurrentiam trecentarum librarum annuarum pro qualibet Præbenda compleatur, illoque completo, & redditibus prædictis per vacationem aliorum Prioratum unientorum Mensæ Capitulari hujusmodi, seu alicujus eorum, usque ad quantitatem octingentarum librarum auctis, dictus Henricus, seu pro tempore existens Episcopus Malleacensis, ultra prædictos viginti, unum alium Canonicatum aliamque Præbendam supra dictis æquales pro uno alio Canonico, qui æquales fructus, nempe septingentas libras, tam pro grosso Præbendæ, quam distributionibus quotidianis modo supra dicto habeat, erigere, & instituere, illosque sic erectos personæ idoneæ conferre possit; reliquæ verò centum librarum in favorem dictæ Mensæ Capitularis cedant. Supradictis autem peractis & unionem Prioratum Mensæ Capitulari unientorum hujusmodi per illorum omnium vacatione tempore procedente effectum sortita in dicta Ecclesia Malleacensi, pro majori illius venustate divinique cultus augmento, viginti Presbyteri seu Clerici, qui Cappellani seu Cantores nuncupentur, à Capitulo, &

Canonicis ponendi, & ad eorum nutum amovendi, assignato eorum cuilibet Salario annuo trecentarum librarum : Itemque sex pueri symphoniaci, unusque Magister Musices cum annua expensâ seu annuo inter eos Salario, mille, & quingentarum librarum, itemque unus bacularius, seu perticarius, vel virgarius, aut bidellus cum annua mercede trecentarum librarum, atque etiam quatuor inferiores Servitores, quos Courtres vocant, cum annuo Salario pro quolibet manuteneantur, & omnes munia, & servitia sibi à Capitulo & Canonicis dictæ Ecclesiæ Malleacensi injungenda, obire debeant : Ea quidem ratione, ut donec unio Prioratum Mensæ Capitulari unientorum hujusmodi integrè effectum sortita fuerit, tot solummodò ex dictis Cappellanis seu Cantoribus ac pueris, aliisque Officialibus, Ministris & Servitoribus prædictis manuteneantur, qui ex fructibus Prioratum Mensæ Capitulari unientorum, quorum vacatio occurrerit, manuteneri possint, & si quidem quos Capitulum, & Canonici Ecclesiæ servitio magis expedire judicaverint. Verùm unionem prædictorum Prioratum prædictæ Mensæ Capitulari unientorum per illorum omnium vacationem plenarium & integrum effectum sortita, tum demum integer numerus Cappellanorum seu Cantorum, & sex puerorum Symphoniacorum cum Magistro Musices, & quatuor inferiorum Servitorum, unusque bacularius seu perticarius, aut virgarius, seu bidellus, cum prædictis respectivè salariis habeantur, & manuteneantur : Quodque tam Episcopus, quam Capitulum & Canonici erga eandem Ecclesiam Malleacensem sequuta secularisatione taliter obligati sint, qualiter idem Episcopus, & Conventus Regularis ante Sæcularisationem ipsam obligati erant, & pro tempore existens Episcopus in Capitulum & Canonicos Sæculares Ecclesiæ Sæcularisatæ eandem Jurisdictionem, potestatem & auctoritatem habeat, quam ante Sæcularisationem ipsam, pro tempore existentes Episcopi Malleacenses in Conventum & Monachos Regulares dictæ Ecclesiæ Malleacensis habebant : dicta auctoritate status, & ordines. Nos enim, si suppressionem, extinctionem, absolutioem, liberationem, creationem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, statum, & ordinationem, aliaque prædicta per te vigore earundem præsentium fieri contigerit, ut prædicatur, futuris Capitulo, & Canonicis Sæcularibus dictæ Ecclesiæ Malleacensis omnibusque ejus Ministris, & Personis, ut & sequuta dicta Sæcularisatione omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, jurisdictionibus, conservatoriis, præeminentiis, concessionibus, indultis, & aliis gratis universis tam spiritualibus, quam corporalibus eidem Ecclesiæ Malleacensi illiusque Conventui & Monachis Regularibus aliisque personis & Ministris per quoscumque Romanos Pontifices nostros, Imperatores, Galliæ, aut alios Reges, aliosve Principes, aut Duces, ac quoscumque alios, & Regum, Ducum, aut aliorum Principum hujusmodi, seu etiam Religionis & Regularitatis intuitu & contemplatione, aut aliis quomodolibet concessis, quibus per dictam Sæcularisationem nullatenus præjudicatum sit, aut esse censetur, & quibusvis aliis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ illarum partium illarumque Capitula, Canonici, aliaque Officialia, & Ministri de jure, usu, privilegio consuetudine, aut aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, similiter, pariformiter, & absque ulla prorufus differentia, dummodo tamen sint in usu,

ANNO
1631.

ANNO
1631.

& non revocata, ac sacris Canonibus ac Constitutionibus Apostolicis, & Concilii Tridentini Decretis non repugnent, uti, frui, potiri & gaudere liberè, & licitè possint & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsi Ecclesie Malleacensi, illiusque Capitulo, & Canonicis, aliisque Ministris, & Officialibus in statu Sæculari existentibus à principio concessa fuissent: Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ipsisque futuris Capitulo, & Canonicis Ecclesie sic Sæcularisatæ, ut quæcunque statuta & ordinationes tam circa divinarum Officiorum celebrationem, horarum Canonicarum recitationem, Chori servitium, ac munera sua, Officia, ac servitia, ac onera singulorum Capitularium, Capellanorum, Cantorum, Musicorum, & aliorum Officialium & servientium, quàm circa fructuum divisionem, & repartitionem modumque illos lucrandi, seu percipiendi, & exigendi, & aliàs felix ipsius Ecclesie Malleacensis illiusque futuræ Mensæ Capitularis Sæcularis rerum & bonorum regimen & gubernationem, divinique cultus directionem concernantia, licita tamen & honesta, sacrisque Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, dictique Concilii decretis minimè adversantia concedere, & quoties pro rerum & temporum qualitate, aut aliàs expediens videbitur, illa imutare, alterare, limitare & corrigere, emendare & interpretari, aliaque etiam de novo condere & facere liberè & licitè valeant, quæ postquam edita, immutata, alterata, limitata, correctæ, emendata & interpretata, aut de novo condita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate approbata esse censeantur: Licentiam & facultatem auctoritate & tenore præmissis etiam perpetuè concedimus & elargimur, easdemque præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos & Successores nostros Romanos Pontifices, etiam crastino ejusque eorum ad summi Apostolatus apicem assumptionis die, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, pro tempore quomodolibet edendis, minimè comprehendi, vel per eas confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac si de novo sub quacunque posteriori data per pro tempore existentes Capitulum & Canonicos dictæ Ecclesie Malleacensis quodcumque eligenda concessa essent, fore, illasque ac omnia & singula in illis per Nos concessa, disposita & fieri mandata, ac in vim illarum faciendæ & inde sequuta quæcunque, postquam litteræ translationis hujusmodi executioni demandatæ, ac illarum vigore in Ecclesia Malleacensi nomen & titulus Cathedralis Ecclesie suppressa, & dictum Oppidum Fonteniacense Civitatis titulo insignitum, & dicta Ecclesia Parochialis in aliam Cathedralem erectam, de Episcopi, & Capituli ac Canonicorum Malleacensium residentia ad futuram Civitatem Fonteniacensem translata, aliaque per supradictas translationes, litteras, disposita, & ordinata executioni demandata fuerint, in futuris Ecclesia Cathedrali, & Capitulo Fonteniacensi locum habere, & de illis intelligi debere, perinde ac si eadem præsentibus pro Ecclesia Fonteniacensi illiusque Capitulo, Mensæ Capitulari, rebus & bonis sub nomine & denominatione Ecclesie Fonteniacensis emanassent, sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes judicari, & definiti debere: Et si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel igno-

ranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus dictæ Ecclesie Malleacensis in statu regulari fundatione, aliisque præmissis ac prioribus voluntate, statuto, & ordinatione nostris prædictis, & Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permixtis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, & aliis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus, Universalibusque Conciliis editis & edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictorumque Ecclesie Malleacensis & Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus litteras impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitos per eandem ad Archiepiscopatum & Eleemosynariam, ac Cappellaniam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per eas, quoad assecutionem Beneficiorum aliorum, præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, indulgiis & Litteris Apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediti valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo sexcentesimo trigesimo primo, decimo nono Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Pro Eminentissimo Domino Cardinali Barberino Summatore, J. B. Episcopus Sydoniensis.

Joannes Savenier, G. Pontanus, Vifa P. Gentilii.

BREVE URBANI PAPÆ VIII.

VIII.

Quo admittit iste Pontifex Religiosos Ordinis Sanctæ Crucis Parisiensis vulgò de la Bretonnerie nuncupatos Appellantes à Processu Cardinalis Rupifoucauld de la Rochefoucauld pro Introductione Canonicorum Regularium S. Augustini in dictam Domum S. Crucis: Anno 1641.

URBANUS EPISCOPUS.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Antonius Oudin Procurator & Syndicus Monasterii S. Crucis de la Bretonnerie nuncupati Parisiensis, nec non Martinus Heret Sub-Prior, & alii Religiosi dicti Monasterii S. Crucis, quod licet dictum Monasterium sit subiectum dilecto Filio Abbati Generali totius Ordinis & Congregationis S. Crucis, Regulasque ac Statuta & Constitutiones omninò distinctas & separatas ab illis, qui Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini amplectuntur, habeat, & propterea non possit, nec debeat dictum Monasterium Ordinis S. Crucis Ordini Canonicorum Regularium S. Augustini in vicis Superioribus dicti Monasterii S. Crucis uniri, seu incorporari, nihilominus dilectus Filius noster Franciscus Tituli S. Sixti Præbyter Cardinalis de la Rochefoucauld nuncupatus idem Mona-

sterium